



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XXVI. De eminentia liberæ mentis, quam supplex oratio magis  
meretur, quàm lectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

## CAP. XXVI.

*De eminentia liberæ mentis, quam  
supplex oratio magis mere-  
tur, quàm lectio.*

**D**OMINE, hoc opus est perfecti viri, numquam ab intentione cælestium animum relaxare: & inter multas curas, quasi sine cura transire: non more torpentis, sed prærogatiua quadam liberæ mentis, nulli creaturæ inordinata affectione adhærendo.

2 Obsecro te, piissime Deus meus, præserua me à curis huius vitæ, ne nimis implicer; à multis necessitatibus corporis, ne voluptate capiar; ab vniuersis animæ obstaculis, ne molestiis fractus deiiciar. Non dico ab his rebus, quas toto affectu ambit vanitas mundana: sed ab his miseriis, quæ animam serui tui, communi maledicto mortalitatis, pœnaliter grauant & retardant: ne in libertatem spiritus, quoties libuerit, valeat introire.

Gen 3.  
& Rom.  
7.

3 O Deus meus, dulcedo ineffabilis, verte mihi in amaritudinem,  
om-

omnem consolationem carnalem, ab æternorum amore me abstrahentem: & ad se, intuitu cuiusdam boni delectabilis præsentis, malè allicientem. Non me vincat, Deus meus, non me vincat caro & sanguis: non me decipiat mundus, & brevis gloria eius: non me supplantet diabolus, & astutia illius. Da mihi fortitudinem resistendi, patientiam tolerandi, constantiam perseuerandi. Da pro omnibus mundi consolationibus, suauissimam spiritus tui vnctionem: & pro carnali amore, tui nominis infunde amorem.

4 Ecce cibus, potus, vestis, ac cetera utensilia, ad corporis sustentaculum pertinentia, feruenti spiritui sunt onerosa. Tribue talibus fomētis temperatè vti, non desiderio nimio implicari. Abiicere omnia non licet, quia natura sustentanda est: requirere autem superflua, & quæ magis delectant, lex sancta prohibet: nam aliàs caro aduersus spiritum insolesceret. Inter hæc, quæso, manus tua me regat & doceat, ne quid nimium fiat.

CAP.